FACULTATIS MEDICÆ h. t. PRO-DECANUS

FRANCISCUS SCHOENMEZEL

PHILOSOPH. ET MEDICINÆ DOCTOR PROFESS.
PUBL. ET ORD. NOSOCOMII MILITARIS MEDICUS

AD

DOCTISSIMI MEDICINÆ LAUREÆ CANDIDATI

JOANN. NEPOMUC. GRUBER Heidelberg.

AA. LL. ET PHILOSOPHIÆ MAGISTRI, GREMIO MEDICORUM MANNHEMII PRACTICORUM

ADSCRIPTI

DISPUTATIONEM INAUGURALEM

DE POTUS INFANTILIS CALIDI NOXIS

INVITAT.

DIE ~~28~~ 30. MARTII A. D. 1769.

PRÆMISSO JUDICIO

De nocivo Terreorum in morbis exanthematicis usu.

*** ***

In morbis exanthematicis alvum apertam ſervandi imo quandoque ducendi utilitatem & neceſſitatem, ut oſtenderemus, nuperi allaboravimus, ineptiſſime autem a quibusdam, hoc neglecto, terreis Medicinam fieri, in præſentibus evincere liceat.

Quod exanthematicæ febres ex genere vel biliosarum vel putridarum *a)* ſint, ſymptomatum comparationem docere probavimus *b)*, atque hoc, ſi ad tempeſtatem, quæ hiſce febribus favet, ad modum, quo ejusmodi Epidimiæ oriri ſolent, & poſtmodum ſæviunt, ad ipſa reſpiciamus funera, optime confirmatur.

Si horumce obſervatores morborum evolvimus, hos morbos tunc plurimum invadere cernimus, cum humidior atmoſphæra oras aliquamdiu perflat; morbi primum mucoſi arthritici leviore ſtipati febri fiunt, febres ſucceſſive graviores, quas petechizantes dicunt, invadunt, tandem exanthemata pro diverſitate formæ diverſis inſignita nominibus, quæ mox dyarrhœas billioſas, mox dyſenterias aut comites aut præcedentes habent ſimul efflorescunt.

Quam plurimos in hujus aſſerti veritatem obſervationes allegare poſſem, aliquas tantum notaſſe ſufficiat. Fridericus Hoffmannus *c)* Epidemiam anni 1700 nobis conſignans, „memorabile hinc eſt, inquit, aliquos jam annos immo „ultra ſeptem præcedentes inſuetos fuiſſe & a naturali ſibi „debita conſtitutione ac temperie multum deſciviſſe, cum „æſtas

a) Nulla billioſas inter & putridas febres, alia intercedere differentia videtur, quam, quod in billioſis putridum in primis potiſſimum viis hærere, in putridis autem maſſa humorum omnis quam maxime corrupta videatur. Obſervatione enim & ipſas billioſas leviores quoque, ſi diutius graſſatæ fuerint, tempeſtate præſertim humida & calidiore in peſſimas degenerare putridas conſtat.

b) Judicium de neceſſitate laxantium in morbis exanthematicis.

c) Conſtitutio epidemiça Hallenſis. An. 1700.

„æstas ut plurimum propter boreales ventos humiditate ac „notabili frigore autumni naturam ac faciem induerit. annus 99 „leniſſimam nobis Hiemem valde mutabilem dedit, menſe „Octobri & Novembri ventis ex plaga auſtrali & occidentali „ferme continuo ſpirantibus. Morbi qui præcedentibus an„nis ſeveriorem in modum graſſati ſunt, fuerunt anno 98 fœ„dæ variolæ. Anno 99 febris, malignitatis non expers, Pete„chizans. Affectus autem qui anno 1700 urbem, vicina loca „Lipſiamque invadit, fuit febris cum petechiis. Præter hanc „febrim tales morbi regnarunt, qui affinitatem quandam cum „hac aluerunt, Padagra, Chyragra, febres Catharales, Eriſi„pelaceæ, Coryzæ, Tuſſes, Diarrœhæ„. Et non in hiſce ſolum tractibus ſed in aliis quoque Regionibus Humida hac tempeſtate ſimiles fuiſſe procreatos morbos, obſervatorum diaria oſtendunt. Cum Hiſtoriam Epidemiæ Hungaricæ ab annis 1697 usque ad annum 1709 ab ANDREA LOEW *d*) conſignatam inſpiciamus, iisdem annis ac HOFFMANNUS humidam notans atmoſphæram, febrim exanthematicam deſcribit, quæ dyarrœhas, dyſſenterias, catharros, & rheumatiſmos comites habuit, leviorem quoque hanc febrim ab initio fuiſſe exinde apparet, quod Bezoardicis & ſudoribus ab illo tractata, parum tamen lethalis fuerit, & quam facillime ægri ſine medicamentis convaluerint, quæ autem de pernicioſa ejus ex poſt indole aſſerit, adeo memorabilia ſunt ut propria authoris verba huc referenda cenſeam: „qui more ſolito aſſumpſerunt & continuarunt ſudorifera illi „omnes viribus exhauſtis & convulſionibus obortis migrarunt „ad ſuperos“. Anno 1720 Lipſiæ Epidemiam, CHRISTIAN MICHAELIS *e*) obſervavit, cui quoque aerem valde tepidum & humidum prægreſſum notat; ſub febris intermittentis larva primum prodiit, ex poſt autem, maculis rubris (quas ſcorbuticas dicit) ægri notati fuerunt, vermes quoque in his febribus prodeuntes vidit, ſimulque graviſſima ſymptomata ſupervenientem diarrhœam ſuſtuliſſe expertus eſt, inter morbos eodem tempore graſſantes, Morbillos, Variolas, Arthriticos

d) Acta Phyſio Medica. Vol. I. pag. 24.
e) Acta Phyſico Medica. Vol. I. pag. 1.

vationes, quas recenſere omnes anguſti harum paginarum limites præcipiunt, apud BARTHOLOMÆUM BECCARIUM *f*) de conſtitutione Mutinenſi, CAROLUM FRIDERICUM Lœw *g*) de febri catarrhali, quæ anno 1729 & 30 per Europam graſſata eſt, in Medicorum Sileſiacorum ſatyris *h*), apud JACOBUM RITTERUM *i*) in hiſtoria & obſervatis circa febrem petechialem anni 1740, WOLFGANGUM RAU *k*) in hiſtoria febris morbiloſæ anni 1751, GOTTOFREDUM de HAN *l*) de Epidemia verna, quæ anno 1737 Uratislaviam graviſſime afflixit. Denique apud indefeſſum illum obſervatorem HUXHAMIUM *m*) qui ab anno 1727 usque ad annum 1748 Epidemicorum ingreſſum morborum pulcherrime notavit, leguntur.

Neque aerem humidum morbis putridis anſam præbere, quod experientia comprobat, rationi repugnat, præterquam enim, quod diuturniore tempeſtate humida, ſtagnantes in plagis aquæ corrumpantur, aeremque ſic putridis repleant particulis, olera quoque & fruges diverſas patiuntur noxas, quæ cum victui inſerviant, non levia humoribus vitia inferunt. Ab humiditate etiam atmoſphæræ laxantur ſolida, tranſpiratio ſupprimitur, lenta inde & impedita fit tenuiorum circulatio humorum, qui propterea corrumpuntur, atque ſanguini ab excrementitio humore retento, pravis alimentis, atque impuriore aere jam vitiato admixti febrim excitant, cujus calore humorum corruptela plurimum intenditur. Et nonne ex eo quoque putridam eſſe exanthematum indolem, illaque ex putrido, ratione haud explicabili, exaltato originem habere ſentiamus, quod tales, qui laxioris ſunt habitus, vel præ paupertate viliore utuntur victu (hique omnes ad putri-

dam

f) Acta Phyſico Medica. Vol. III. pag. 142.
g) Apend. ad Act. Phyſic. Medic. Vol. III. pag. 75.
h) Specimen VI.
i) Act. Phyſic. Medic. Vol. VII. pag. 10.
k) Act. Phyſic. Medic. Vol. X. pag. 164.
l) Ibid. in Apend. pag. 3.
m) Huxham. oper. omnia. Tom. I.

dam vergunt colluviem) in epidemiarum ortu præprimis affligantur. Quid de febribus aliud inferamus, quæ, quousque non manifesta intensioris signa putredinis, uti ad epidemicarum ortum, ostendunt, levius decurrunt, quam primum autem, cum apertissima putredinis signa habeant, exanthematibus notantur. Diarrhœas biliosas, & Dysenterias, ex putrida humorum Dyatesi provenire, quis neget? nonne ergo, cum apud citatos authores, appareat, hæc alvi profluvia, febres exanthematicas vel præcedere, vel comitari, putridam humorum corruptelam clare indicant, quam sanguis in gravioribus hisce detractus morbis æque confirmat, Notante enim van der Mye *n*) & Mortono o), post emissionem non minus ac urina putrida fœtidus fuit observatus. Et funera quæso inspiciamus, nonne breviſſime putridum spirant fœtorem, lividis notantur maculis, & abdomen illis tenditur, quotquot mihi secare licuit, in illis intestina sphacelosa, in pluribus quoque partem hepatis, eam præprimis, quæ colo & ventriculo incumbit, corruptam inveni.

Putrida igitur, cum ex dictis morborum exanthematicorum, indoles ulterius confirmetur, nullis profecto terrea satisfaciunt indicationibus; eo enim, ni fallor, in hisce morbis omnis coincidit indicatio, ut putrida humorum dissolutio arceatur, & acris nocivusque humor optimo educatur modo; Putredini autem humorum qui efficacius resistitur? quam si vires vitæ, quantum fieri potest, erectæ serventur, & remedia, quorum efficaciam contra putredinem experientia & tentamina comprobavere, in auxilium vocentur. Quid autem victu facili & accescente ex vegetabilibus, potu frigidiusculo, & aere sæpius renovato, viribus magis consulat? Quodsi nimium solida langueant, vinum generosum parca adhibitum dosi optimum præstat cardiacum, imo egregie quoque cantharitibus moderatus additur stimulus, quæ acriorem exitum materiei simul parant. Inter antiputredinosa autem specialius referri merentur, acida

n) De morbis Bredanis.
o) Pyretholog. Prolegom. pag. 26.

mineralia *p*) & cortex Peruvianus, remedia, quæ optimi authores Medicorum tentaminibus ſuffulti contra putredinem efficaciſſima ſemper habuere; quis autem virtutem terreis *q*), cum inertia, inodora & inſipida ſint, cardiacam adſcribat? quis antiſepticis illa adnumeret? terrea omnium conſenſu, vim acidorum infringunt, nonne ergo, ubi acidis potiſſima abſolvatur cura, potius obſunt? abſonum me Hercle eidem morbo & opponere remedia utilia, & alia quæ illorum virtutem caſtrant, ſicque omnem effectum infringunt, cum celeberrimo Tissoto *r*) haberi debet; verum non curæ modo obſunt, ſed malum, cum putredinem in primis viis augeant revera gravius reddunt; ad inſtituta a Pringlio *s*) (& quis viri illius authoritatem in dubium vocare audeat?) experimenta provoco, exiliorem ille lagenam, ſex drachmas fellis tauri in aqua ſoluti, quibus viginti oculorum Cancri grana miſcuit, cum ſimili fel quæ tenebat dilutum ſine admixtione, continentem in locum, cujus calor naturalem hominis non ſuperabat, repoſuit, longe citius putredo liquorem, cui oculi Cancrorum admixti fuerant, corripuit; idem cum creta experimentum atque teſtaceis inſtituenti contigit, carnemque his conditam, non celeriore modo ſed graviore quoque putredine, ut tota in putrilaginem diſſoluta cerneretur, corruptam obſervavit. Cum ergo terrea putredinem promovere extra dubium ſit, nonne ſtagnantibus atque corruptis admixta humoribus illam potius augebunt, quo totum graviſſime malum exaſperabitur. Non igitur pro cardiacis, multo minus pro antiſepticis haberi poſſunt.

Aſt

p) Plures cum Bœhrhavio acidis mineralibus vim humores coagulantem adſcribentes, pernicioſum illorum uſum exiſtimant, verum hoc ipſo humorum reſolutioni opponenda cenſeo, neque ea, quam tentamina oſtendunt, coagulatio ab interiore uſu metuenda, cum aqua ſufficienter diluta in uſum veniant.

q) Terrea in his morbis uſitatiſſima, Lapis Bezoar, Terræ Sigillatæ, & Boli, Creta, Cornua Cervina, Unicornu verum vel foſſile, Oculi Cancrorum, diverſa Teſtacea, Concrementa Lapidoſa, qualia Criſtallum montanum, Corallia &c. Calces Antimoniales ſunt.

r) D. Febre Bilioſa Lauſanenſi. pag. 158.

s) Traité ſur les ſubſtances ſeptiques & anti-ſeptiques, Memoire. II. exper. 23.

Aſt æque parum ad noxium humorem evacuandum ſunt idonea. Triplici potiſſimum via Medicamentis interne propinatis corrupti in febribus humores, vel cum ſudore, vel cum urina, vel cum fœcibus educuntur, in morbis putridis per alvum materiem optime eliminari, in præcedentibus *) ut evinceretur, operam dedimus, atque ex eo, quod indicationi vitali ſimul optime ſatisfiat, luculentius evinci poſſe nobis videtur. Quodſi enim teſte quotidiana experientia aer purus & frigidulus egregium ſolidis robur addat, nonne, cum ad movendos ſudores calidior, quæ prorumpentibus in cute corruptis particulis ſimul fœta eſt, atmoſphæra requiratur, illud (& præſtantiſſimum profecto eſt) virium in morbis putridis fulcimentum aufferetur? atque hoc ipſa ab omnibus authoribus notata experientia comprobat, unanimi enim ore, morbos, in quibus ſudor ab initio copioſe prorumpit, maximo, (quod univerſalis virium languor hos comitetur) periculo ſtipatos affirmant, & qui aliter fieri poterit, craſſior profecto & tenacior illa ob acredinem forſan vaſa conſtringens, quam quæ per poros expelli poſſit, colluvies ſit, quomodo exanthemata ceteroquin efflorescerent? Cum ſudore igitur tenuis, non admodum acris, qui ſolus aliqua bonitatis nota adhuc gaudet, humor profluit, quo vaſa inaniuntur, liquidum vitale, ad quod calor præprimis confert, deperditur, & humorum acrimonia augetur, vitales quibus vires quam maxime proſterni neceſſe eſt. Et peſſimo cum eventu alvum in his morbis fluidum quoque reperiri, ſiquis objiciat, hoc ex neglecta leniore alvi ductione evenire ſciat, quo cauſtica materies in inteſtinis relicta, vel illa ſphacelo deſtruit, vel ſtimulo indeſinenter urgente colliquativam excitat diarrhœam. In oſtendendis calidi regiminis noxis fuſior eſſe nolo, id unum penſitandum relinquo, an non cum ab acri putrido, febris accendatur, acria, quibus ſudor moveri ſolet, humorum acrimoniam acuant, quo calor febrilis, hincque omnium colliquatio humorum intendi debeat; acria alcalina volatilia putredini reſiſtere ex inſtitutis a Pringlio tentaminibus apparere non ignoro, verum cum ſanguinem, qui nimium jam in hiſce febribus diſſolutus eſt, manifeſte ſolvunt, cum humorum acrimoniam certiſſime majorem reddant, non ne facillime ſanguis vel præ tenuitate in celluloſam viſce-

*) Program. De neceſſitate laxantium in morbis exanthematicis.

viscerum, vel ex eroris effluvio valetudo stagnando putrefiat? sicque ex celerrimo quandoque viscerum sphacelo mors inducatur, verum quis ab inertibus hisce pulveribus alvum moveri contendat? stimulo carent omni, sique in infantibus laxior quandoque alvus ab his fiat, ex acido, quod in primis viis offendunt, illud producitur; blandissimam propterea, quam auctam transpirationem dicere mallem, diapnoen rejiccre nolo, qui autem illa terreis Medicamentis (bone Deus) obtineatur? nec minimum a terreis ad sanguinem defertur, si enim illorum gravitatem perpendamus, quomodo per exilissima omnem sensuum aciem fugientia penetrent vasa lactea? in tenuissimum terrantur pollen, ab intestinali muco in pastam conglutinata omnem vasorum lacteorum energiam eludent. Ab alio enim, quam ab acido solvi menstruo juxta omnem Chimicorum sententiam nequeunt, quod cum in febribus a putredine deficiat, inertia ventriculum gravando, nisi ut antea ostendimus putredinem augerent, remanerent. Atque ex iisdem, vis, quæ de terreis adeo deprædicatur, demulcens & diuretica concidit. Singula ut enumerentur terrea, ad illorum inefficaciam melius demonstrandam, hic locus foret, nisi, quæ propria hisce paginis brevitas esse solet, id prohiberet; quod, cum ab aductis omnia argumentis graventur, illudque ab expertissimo TRALESIO *t)* efficacissime præstitum fuerit, minus necessarium duco, duorum tamen, ut mentionem faciam, quod illis a quam plurimis vis non exigua adscribi soleat, non possum prætermittere; Primum famosissimus ille Lapis Bezoar sit, cujus futilitas, ut eo melius eluceſcat, ipsis TRALESII verbis uti liceat, „prodeat itaque (inquit) primo in„fandus ille lapis Bezoar, a quo, ut recte judicat GORRIS, „ante seculum tot forte offensi sunt, quot a melioribus remediis „adjuti, illum (ut denuo verba GORRISIANA mea faciam) ubi „credideris te verum Germanumque comparasse, ossa usta, „cretam, gypsum, cineres, conchas, sanguinem siccum, lapil„losque minores te emisse comperies convenienti liquore im„pastatos", qui autem ab his effectus præstari possint, ex antedictis apparet. Alterum usitatissimum illud multis adhuc

Pra-

t) Virium, quæ terreis adscribuntur remediis examen rigorosius.

Practicis, Antimonium diaphoreticum sit, illius præparatio, rogo, respiciatur. Antimonium crudum, vel illius Regulus cum triplo nitri ad deflagrandum in candens projicitur crucibulum, calx remanens, cum aqua egregie elota exsiccatur, & decantatum illud sistit remedium, quid autem aliud illud est, quam calx Reguli Antimonialis, iners & exusta, Antimonium enim ex parte regulina & sulphurea constat, ex quo, si cum nitro igni comittitur, principium inflammabile cum acido Nitri avolat, crassiore acido sulphureo cum alcali nitri sal medium efformante, quod crebriori solutum lotura calcem inertissimam relinquat necesse est. Hanc autem jam mitto materiam, ut Medicæ Laureæ Candidatum, publice comendem, est is

Doctissimus

JOANNES NEPOMUCENUS GRUBER

AA. LL. & Philosophiæ Magister, Gremio Medicorum Mannhemii Practicorum adscriptus.

emesso Philosophiæ curriculo, ad Medicam transiit Disciplinam, a celeberrimo OBERCAMPIO in Pathologia, Materia Medica, formulis, atque Praxi ad mentem BŒRHAVII. Cl. GATTENHOFFIO in Institutionibus BŒRHAVII, Materia Medica Lœseckiana, Praxi Clinica juxta LUDWIGIUM, Cl. HARRER in anatomia Santoriniana, Chirurgia Bassii, & Medicina Forensi Teichmeyeri, Cl. NEBEL, in Chemia Vogelii & Chirurgia Ludwigii, Nobis denique auscultans in Anatomia tam Historica, quam Practica, publice demonstrata, Chirurgia Ludwigii, Medicina Forensi Bohnii, Arte obstetricia juxta Rœdererum per plures annos edoctus; Herbipolim se contulit, atque Ducibus Celeberrimis Professoribus Cl. EHLEN, Cl. WILHELM, Cl. PAPIUS, Cl. RIEGEMER, Cl. STANG, Cl. SIEBOLD, Institutionibus, Pathologiæ, Praxi Medicæ, Chemiæ tam Theoreticæ quam Practicæ, Botanicæ, Materiæ Medicæ, Historiæ Naturali, & rei Metallurgicæ, Anatomiæ, illiusque præparationibus denuo operam dedit, unde reversus Insignia Doctora-

ctoralia Honeſte rogans, ad examina admiſſus, & comprobatus jam ex juſſu inclitæ Facultatis noſtro ſub Præſidio Diſſertationem de Calidi Potus Infantilis Noxis, præmiſſa de More Lectione Curſoria, de Initio atque Incremento Medicinæ apud Romanos publicæ ventilandam proponit.

Ad quem Actum Magnificum Academiæ Rectorem, Illuſtrem Pro-Cancellarium, Graviſſimos Senatus Academici Proceres, Hoſpites omnium ordinum Litteratiſſimos, Civesque in primis noſtros Generoſiſſimos, & Nobiliſſimos, ea qua decet Humanitate, invitatos volo. D. in Univerſitate Palatina die 28. Martii A. D. MDCCLXIX.

(L. S.)